



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 8. De Precibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

§. VIII.

De Precibus.

I. **S**emper dicuntur, exceptis Duplicibus, & diebus infra Octavam. Omittuntur etiam, quando dies octava incidit in Dominicam privilegiatam. Gavant. *sect. 3. c. 8. n. 13.* ut supra quoque ad Primam §. 8. notatum est.

II. In Versibus tempore Paschali non additur Alleluia.

§. IX.

De Oratione.

I. **S**emper dicitur, excepta Feriâ quintâ Cœnæ Domini, & die Parasceves.

II. Subjunguntur illi Versus consueti *Dominus vobiscum, Benedicamus, benedicat.*

§. X.

De Antiphonis B. Virginis.

I. **S**emper dicuntur, præterquam in FERIA quinta & sexta Sacræ Hebdomadæ.

II. Variantur pro diversitate temporis, prout in quavis Antiphona post Completorium notatur. Dubitari tamen potest de Antiphona *Alma Redemptoris*, an si Purificationis Festum ob Dominicam privilegiatam differatur, ut hoc anno factum est, etiam Antiphona illa transferri debeat? & respondet Gavantus *sect. 5. c. 22. n. 7.* affirmativè, eò quòd in tali casu semper adhuc de partu B. Virginis fiat mentio; quam ob causam ait citatus Author, si Purificatio alicubi Octavam habeat, dictam Antiphonam per totam Octavam dicendam esse, eò quòd omnes Octavæ dies pro uno die reputentur.

III. In fine subjungitur Versus *Divinū auxilium, & Pater, Ave, Credo.* Præter hæc ex præscripto nihil dicitur; aliqui tamen vel Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*, vel Orationem sequentem addunt. *Sacrosancta & individua Trinitati, Crucifixi Domini nostri IESU Humanitati, beatissima & gloriosissima, sempérque Virginis MARIÆ fecunda integritati, & omnium Sanctorum Universitati sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum per infinita secula seculorum. Amen.*